

ALEXANDRI POPE

Equitis Anglicani et Poetae Incomparabilis

Commentatio Poetica de Homine

Ex Anglico Idiomate in Latinum Translata

et Carmine Heroico Expressa

per

Jo. Joach. Gottlob Am-Ende

Theologiae Doctorem et Antistitem Sacrorum Apud Dresdenses

This edition of Pope's *Essay on Man* © 2013 Claude Pavur. This work has been excerpted from *Essai sur L'Homme, Poème Philosophique par Alexandre Pope, en Cinq Langues, Savoir; Anglois, Latin, Italien, François & Allemand.* (Strasbourg: Chez Amand König, Libraire, MDCCCLXII), pages 47-106.

Epistola Prima De Natura et Statu Hominis
Spectati in Relatione Ad Universum.

Surge age! Maecenas, misere quos vexat & urget
Fastus et ambitio, cunctas res, spesque minutias,
Regibus utendas linquamus. Vix meat ultra
Vita hominis, quam, quod sensus contingit & ambit
Corporis, ut spectet, posthaec moriatur, & absit.
Haec, age! mortalis minimum spectacula vitae
Attentis oculis procul aspiciamus uterque.
Prodigio, en! similis labyrinthus, at ordine constans
Sat certo, en! certis distinctus legibus error.
En! Tibi diffusos campos, fructus ubi, at una
Infelix lolium & steriles dominantur avenae.
Ecce! hortum vetitis tentantem perdere pomis!
Conjunctis animis, conjunctis passibus, arvum
Hoc longe lateque patens lustremus eundo,
Quae vel tecta latent, vel sunt manifesta, notantes.
Naturae varios sancto occultosque recessus
Ausu rimemur, summum spectemus & imum,
In tenebris quicquid confusum repit, itemque
Aethereis coeli quicquid versatur in oris,
Coram sistamus, dextra solerte prehensum.
Queis natura viis, quo dirigat ordine gressus,
Perquisitu opus est: cursu feriamus in ipso
Stultitiam: mores primo videamus in ortu.
Si qua opus, & fas est, aequo ridebimus ore.
Candor, ubi patitur rerum natura, probetur
Integer, ac sceleris purus. Moralibus autem
Divinae gressus simul & vestigia sancta

Justitiae digito monstremus vindice coram.

Est Deus, est & Homo, nostrae nunc mentis & oris
Summa frequens finisque simul. Sed quicquid utrinque
Consdequeris Veri, rationis acumine, primum
Dic mihi, nonne tuae sequitur modulumque gradumque
Notitia? humanae nobis cognoscere sortis
Quantum, quaeso, datum est? hujus nempe incola terrae
Quod sit homo, natus terris, atque altus, id unum,
Praetereaque nihil, scimus. Nostrae incipit omnis
Hoc puncto, hoc pariter rationis desinit usus.
Innumeris sese manifestat gloria mundis
Summa Dei. Verum est. Sed nos quoque Numen in illo,
Quem dedit hospitio, fas est, exquirere mundo.

Si potes, immensas rerum, fac, perspice caussas,
Ac feries. Positos plures super orbibus orbes
Distincte enumera. Tutum componere partes
Tot vastas variasque, vide. Quod quo ordine fiat,
Qua ratione, doce, varia haec systemata mundi,
Ordinis ac legis variae, complectere mente,
Quamque ea se valido spectent, edissere, nexus.
Soles quaer alios, alios exquire Planetas.
Quam varia in variis habitent animalia stellis,
Ordine dic nobis. Et tum monstrare valebis, [50
Cur sic, non aliter, videas res esse creatas.
Mens tua subtilis, magni retinacula mundi,
Nexus, suppetias socias, sociosque favores,
Quaeque ligent toti partes, quae partibus addant
Vincula particulas, quantum dependeat unum
Ex alio, quantove gradu sibi singula distent,

Haeccine cuncta suo penetravit acumine, quaeso,
Mens ratioque satis? Totumne in parte tenetur?
Haec age, quae mundi partes contrectat & unit,
Et quae consensu totum hoc conservat amico,
Haeccine, quaeso, Dei, tam vasta Catena tenetur,
Aut Hominis, manibus, supera virtute tenendi?

Tune, Superbe, audes rationem reddere, quare
Tam sis infirmus, tam parvus, & undique coecus,
Efformatus homo? primum me, si quid acutum
Cernis, si poteris, caussas finesque doceto,
Cur magis infirmus, coecus magis, & magis omni
Parte miser non sis? Ex terra quaerito matre,
Cur quercus late spargens sua brachia & umbras,
Extollat caput, & dumeta latentia serpent?
Aethereae coeli dicant mirabilis orae,
Tam Jove cur multus soleat minor esse satelles.
En tibi mundorum series, systemata, nexus
Diversos, quorum quemvis existere posse,
Numne negare ausis temere? nec ii tamen una
Existunt omnes. Sapientia, finibus expers,
Quod praestat cunctis, fas est, sistema praeoptet
Mundi, ac prae reliquis jubeat se sistere coram.
Hoc ipsum, quocunque patet, sistema refertum
Materie, ac plenum est. Alias connexio nulla
Posset habere locum. Nihil est in rebus inane.
Hic quoque res cunctae cepere statumque gradumque,
Quem sua cujusvis entis natura poposcit.
Hic vitae est varius modus, est diversa facultas,
Est minor & major constans perceptio sensu.
Est igitur ratio, est simul ex ratione necesse,

Hac serie, hac scala vitae, sensusque, teneri
Ens usquam, quale est, & sensus limite certo,
Et vitae, finitus homo. Nunc quaestio tota,
Nunc, quam certetur varie, & sub judice lis fit,
Res redit omnis eo, num contra fasque piumque
Fecerit omnipotens, talem, talique potitum
Sorte, locove, hominem fieri, quod jusserrit olim?

Injustum censes, Hominem conversus in unum
Mente tua: at totam, quantum datur, inspice rerum
Compagem seriemque simul, simul esse memento
Mortales homines partem totius, & ipsum,
Quod dixti injustum, justum dicetur & aequum.
Cernis, in humanis vulgo contingere rebus,
Quae soleant. Operas, curasque & mille labores [100
Impendunt homines. Nunc huc, nunc volvitur illuc,
Corporis ac mentis vis omnis. Vix tamen unum
Millibus ex cunctis videas emergere curis
Intentum finem; melius procedere, credas,
Unum *velle* Dei. Quicquid vult, adsit oportet,
Ut voluit. Finis quod erat nunc, caussa sit ulro,
Ac medium alterius finis. Connexio mentis
Divinae quanta haec! quam prorsus nescia falli!
Sic homo vel princeps nostro esse videtur in orbe
Et caussa & finis rerum, qui forsitan ipse
Nescius ignotae sphaerae, caussaeque prioris
Subjacet arbitriis, clandestinoque rotatus
Impulsu, totus solet inservire regundo
Nobiliori operi, summae moderamine caussae
Progrediente viis tectis. Pars obvia rerum
Est oculis, totum manet impenetrabile, nostris.

Si sciat acer equus, furibundis cursibus, auras
Findens, injectis quare restringat habenis
Cursum eques, aut iterum spumantia frena relaxet,
Per medios vectus celeri cum turbine campos:
Si norit, terram cur nunc proscindat aratro,
Bos piger, & sedem nunc inter Numina nactus
Niliacae gentis, flores gerat, atque coronas;
Tum, reor, humanae male sana superbia mentis
Perspiciet, quis sit genuinus finis & usus
Naturae sortisque sua, quo passio, & actus
Tendant, cur homo nunc varie versetur agendo,
Nescio, quo pulsus stimulo, nunc torpeat, expers
Impulsus cuncti, ac, motu cessante, quiescat,
Cur nunc crudeli servilia colla tyranno
Subdat, nunc ipsos capiat Deitatis honores?

Ergo, cave, dicas, hominem non esse creatum
Perfectum, non esse Deum, qui condidit illum
A culpa vacuum. Potius, quam debuit esse,
Tam perfectus homo est. Tota est essentia, tota
Conformis natura ejus statuque locoque,
Quem cepit. Spatium totum, quo currere debet,
Punctum est. Momentum est, quod habet sibi vivere tempus.

Grandia fatorum & veneranda volumina Numen
Occuluit nobis studio, rebusque creatis.
Unus, & ille quidem prostat modo versus, & illa,
Quae cujusque statum praesentem, pagina, signet.
Brutis occultae sunt res, sunt spesque futurae,
Quas homo nosse potest. Homini novisse negatur

Spiritibus nullo vestitis corpore nota.
Hoc alias hominem mundi quis ferre valeret
Inferiore loco? Tua sanguinolenta voluptas
Morti securos inopinae destinat agnos.
Si, qua tu polles, gauderet ovicula mente,
Si ratione tua, molline in gramine laeta [150
Cureret, ac saltu per amicum luderet arvum?
Nonne licet morti sit proxima, lambit & ambit,
Quae mortem intentat lethali vulnere, dextram?
O venturarum salve ignoratio rerum!
Salve animo nobis coelo donata benigno!
Tu facis, ut quas cuique Deus praefixit eundas
Servandasque vias, explere queamus, & orbes.
Hic uno intuitu res contemplatur & aequo
Cunctas, cunctarum solusque potensque creator.
Hic & inaccessa super omnia sede locatus
Passeris e tecto lapsum, multaque valentum
Laude Ducum mortes, aequali lumine spectat.
Sive atomi tenues pereant, seu magna tremiscant
Coelorum ac tristes patiantur tecta ruinas,
Seu salientis aquae, rupto mox tegmine, bulla
Vanescat, totus seu mundi diffluat orbis,
Una eademque manet divinae mentis imago.

Ergo age! mortalis, demissae mentis & oris
Esto, homo! spes moderare tuas, nihil incipe stulto
Nec pertenta ausu; timidis incede cothurnis.
Expecta mortem Doctorem. Numen adora.
Quae tua sit posthaec & sors & vita, negavit
Perspexisse tibi sapiens Deus, at tamen idem
Spem dedit, in praesens ut sit tua vita salusque.

Spes alit aeternis mortalia pectora flammis,
Effloretque intus spargens sua semina late.
Nunquam hic sunt, semper debent tamen esse beati
Felicesque homines: intra se condita, & omni
Irrequieta loco, vita requieque futura
Mens sese reficit, speque hac demulsa quiescit.

Aspice, fac, miserum, positumque sub ignibus Indum
Sidereis: animam, studiis, atque arte vacantem,
Corporis inclusam vinclis, habet: at tamen ipse
Numen habet, Numenque suum nunc spectat in undis
Nubibus, aut venti, vectum stridoribus audit.
Nulla humilem docuit ventosa scientia mentem
Tollere sublimem flammantis solis ad orbem,
Nulla viam lactis dubio contingere visu.
Ipsa tamen simplex, & ab omni libera fuco,
Spem natura dedit coeli, vitaeque futurae.
Coelum, quod sperat miser, haud extenditur ultra
Sperantis visum, superans vix culmina montis,
Montis, qui praeceps caput inter nubila condit.
Densus & umbrosus lucus spem terminat omnem.
Hic vitam expecta, dulci quae plena quiete,
Quaeque sit, ac praesens, pavidis minus horrida curis.
Insula votorum summa est, circumflua multis
Sedatisque undis, meliora habitacula praebens,
Quae patriam, & dulces videatur reddere campos,
Qua non sit, Stygio qui terreat agmine, Daemon, [200
Non qui doctrinam Christi nomenque professus,
Auri vesano ac sitibundo fertur amore.
Quod natura urget, quod suadet & appetit, unum
Explet. Seraphicos sibi non desiderat ignes,

Non, quibus armatus volitat citus Angelus, alas.
Quin putat, esse canem, fido sibi foedere junctum,
Ejusdem Coeli socium, civemque futurum.
Tu, quisquis meliora luto praecordia gestas
Facta, tibi rectae visus plus mentis habere,
Plus salis, expendas, contra ipsum Numen, & effer
Judicium, sensumque tuum, tua vincat, & ultra
Mens eat. Ipsa Dei perdat sapientia litem.
Dic, prout est libitum, quicquid tibi tale videtur,
Esse imperfectum, manus hic dic, prodiga Summi
Numinis apparet nimis, hic nimis indiga rerum
Est eadem: ulterius tua res quascunque creatas,
Subjiciatque sibi, vastetque, effrena voluptas.
Dic, quantumve velis, accusatricibus orbem
Vocibus his imple: Fatis agitatus inquis
Si sit, nec superum curas mentesque domorum
Occupet unus homo, felix nisi solus, & omni
Parte beatus erit, nisi in his perfectio terris
Summa, immortalis nisi sit data gloria vitae,
Injustus Deus est, juris contemtor & aequi.
Immo age! tolle Deo fasces, juga lancis, habenas,
Cunctaque jura tibi, tibi habe, tibi jure teneto,
Ipsi justitiae jus, te quoque Judice, fiat,
Ipsiusque Dei tandem Deus esto vicissim.

Error, Maecenas, noster, deliria nostra,
Ex fastu, infausto proh! fonte & origine, manant.
Nostros transgredimus fines, nimium pede nostra
Audaci efferimus Sphaera, Phætontis ad instar,
Elati ad solem. tantum sublimia coeli
Testa petit fastus: petit ac vult Angelus esse

Parvus homo: contra Deus appetit angelus esse.
Truditur Angelicus celsis de sedibus ordo,
Esse Deo similis, temere tentans: homo contra,
Angelus esse volens, miser inde fit ipse rebellis.

*Quisquis naturae leges invertere tentat,
Se sciatur, aeternam rerum ipsam laedere caussam.*

*Cuncta haec, fastus ait, mea sunt, mihi cuncta ministrant,
Et natura mihi genitrices provida vires
Explicat, & virides jubet efflorescere campos,
Et mihi Nectareas quoquo anno fertilis uvas
Vitis, & eximios rosa florida gignit odores;
Pro me parturiunt latitantia viscera terrae
Thesauros, pro me gemmarum millia promunt,
Pro me servat aquas, mihi fluctus undulat aequor; [250]
Sol oritur, lux ut mihi demittatur & aestus;
Coelum illustre mihi tecto, mihi terra scabello est.*

At natura, suae ceu spartae oblita, subinde
Nonne a fine suo, nonne a bonitate recedit,
Quum sol lethiferos irato dejicit ignes
Vultu? terra imis tacta & concussa cavernis
Quando urbes totas horrendo absorbet hiatu,
Et quando infestum, perrupto littore, pontus
Submersos late populos sepelivit in undis.

*Non; mihi respondes, nam princeps caussa, eademque
Omnipotens, leges generales suevit agendo,
Non, quas cuique dedit speciatim, attendere, parti.
Atque hic a summa rara est exceptio lege.
Erratum in variis inde est ab origine rebus,
Atque imperfectis ecqua est perfectio rebus?
Pulchre ais: ex omni perfectus parte, requiro,*

Cur sit homo? Summus si finis debeat esse
Vita beata hominis, finem si deferat ipsa,
Officium mentita suum, natura supremum,
Cur homo, naturae pars, haud erraverit aequa?
Fert secum hic finis, sit ut inconstantia constans
Ventorum ac pluviae, tempestatisque benignae.
Non minus haec eadem communis regula finis
Poscit, ut humanum pectus nunc aestuet ira,
Nunc placidos habeat motus: homo & odit, amatque,
Alternisque adeo stat tempestatisbus actus.
Scilicet aeternum tibi ver producere nescit
Natura, aut coelos tenebris ac nube carentes.
Sic homines semper sapientes ferre recusat,
Affectu semper vacuos, semperque modestos.
Non pestis, plures grassans violenta per urbes,
Non motu ingenti subtus conterrata tellus,
Non belli rabies, positas ex ordine leges
Divino tollit, cur, quaeso, tollat easdem
Borgia, vel flamas spargens Catilina minaces?
Nae! nostra haec omnis dimanat opinio vanae
E fastu mentis. De vita & moribus aequa,
Judicium, ac rebus de naturalibus, esto.
Hic coelum exculpas, sceleris cur arguis illic?
Si sapis, aeterna sub lege quiescis utrinque.

Lex nobis forsan divinior esse videtur,
Corporei melior si sit consensio mundi,
Nec nisi virtutem moralis praeferat orbis.
Aer si nunquam, nunquam si fluctibus horrens
Aequor, ventorum exitiosos sentiat ausus,
Nec mens affectu patiens turbetur ab ullo.

Verum elementari subsistunt omnia bello,
Affectusque animi quid sunt, nisi vitae elementa,
Nunc hominem sursum, nunc impulsura deorsum?
Et mortalis homo, & natura volubilis una, [300]
A mundi exortu, communi lege tenentur.

Ecquid homo tandem sibi vult miser? angelus, & plus
Vult esse, Angelici multo minor ordine coetus.
Mox idem in tenebris male discruciat, & intus
Conqueritur de sorte sua, quod fronte minaces
Robore non aequet tauros, non pellibus ursos,
Quae voti rabies! Sibi res quascunque creatas
Servitio esse putans, rerum quem fecerit usum,
Cunctarum proprias vires si possidet unus?
Provida naturae ac dives, non prodiga doni,
Dextra, facultates, virtutes, organa, sensus,
Unicuique dedit, quot conveniebat habere,
Et quot sufficerent vitae cujusque tuendae.
Hoc genuit pedibus celere, & pernicibus alis,
Illud prae reliquis excellere robore fecit!
Nempe ut cujusvis status exquirebat & usus.
Hic nihil adjicias, nihil est, quod demere fas sit.
Bestia quaeque sua, repens in pulvere vermis,
Insectumque sua felix est sorte locove.
Ergone contra homines, & eos ex ordine solos,
Affectum invidia, an summum crudele fuisse
Dicemus Numen? numne hic, qui solus & unus
Virtutem rationis habet, nisi, quicquid ubique est
Fortunarum, habeat, prorsus nequit esse beatus?

Summum hominis, mihi crede, bonum, quid sentiat audax
Fastus contra, haud est, ut agat, vel cogitet, ipsum
Supra hominem, aut vires animi vel corporis illas
Captet, quae superant naturae vimque modumque.
Cur homo non visus exaequat acumine lyncem?
In promptu caussa est, non lynx, non musca, creatus.
Et quem tanti hujus fore credis acuminis usum,
Si possis oculis acarum comprehendere nudis,
Nec tamen his oculis contingere corpora coeli?
Quis tibi contactus sensus subtilior usus,
Si tibi vel minimus, tangens, pulvisculus, artus,
Terrorem incutiat, pariatque subinde dolores?
Ecquid adoratus tibi proderit acrior usus,
Florum particulae, volitantes agmine multo,
Si tibi continuo cerebri subtilia turbent
Vasa, & mortifero lacerentur aromate nervi?
Discipis auditum, motus qui sentiat omnes,
Circum te factos. Nescit prodesse, quos optas.
Noctes atque dies metuenda tonitrua circum
Circa, & fulmineos sentire videberis ictus.
Quin sphaerae, varios, constante volumine, gyros,
Et varium dantes concentum, obtundere totum
Corpus, & auditus minitantur tollere sensum.
Proh! iras quantas, quantos mens aegra dolores
Persensura esset, Zephyri si flamina blanda,
Et placidos rivi strepitus, audire negasset [350]
Omnipotens? adeoque manu palpare queamus:
Quod bonus & sapiens, quod sit Deus aequus & insonis,
Seu donet quicquam, seu quid donare recuset!

Res hoc in mundo varias, variisque notatas
Conspicimus gradibus. Graduum discrimina sese
Mirifice extendunt. Sensus quoque viva potestas
Ac mentis, gradibus multis distincta peraeque,
Et minor & major reperitur in ordine rerum.
Quae latos peragunt insecta animalia campos,
Aspice, quove gradu distent, inquire, gradatim
Ad reliquias vitae species hinc gressibus aequis
Protinus accedens. Vitae discrimina quanta,
Quam nullo obvenient numero fingga, priusquam
Humanae attingas regalia stemmata gentis?
Ecce tenebroso tectam velamine talpam,
En quoque solertis penetrantia lumina lyncis.
Quos quantosve gradus hic intercedere visus
Credis? odoratum canis, indomitique leonis,
Auditum tremula fidentis flumina pinna
Piscis, & attentae male tuta insede volucris,
Confer, & ingentes utriusque notabis hiatus,
Innumerosque gradus vitae sensusque animalis.
Quam vaga subtili praepollet aranea tactu!
Ingeniosi operis leviter contingere filum
Ausis, quam vigili totis in cassibus errat,
Nunc huc, nunc illuc, oculo pedibusque vagata,
Ut tota in tota videatur vivere tela!
Quam tener est apibus sensus? quam fallere nescit?
Floribus insidunt variis, roresque madentes
Atque salutiferos ex ipsis ore venenis
Eliciunt. Coeno sese immundaque palude
Volventis porci instinctus quam distat ab illo,
Quo ruis, o nostrae spirans rationis imago,
Quove soles, solers Elephas, dictamine duci?

Naturae instinctus, ratioque in corpore sana,
Haec duo quam parvo, quam nullo, limite distant,
Semper sunt a se distincta modoque graduque,
Semper sunt eadem certo sibi proxima nexu.
Quae reminiscendi, quae cauta viscera rerum
Mente penetrandi sociat connexio vires,
Sensio quam parum abest ab eo, quo cogitat intra
Hanc nostram mentem? Cuncta haec diversa facultas
Conjunctisque homini studiis servire laborans,
Conjungi semper, semper contendit in unum
Confluere, at frustra! nec enim conceditur unquam,
Quod petitur, metasque facit, contingere punctum.
Hos graduum justos fines, discrimina justa,
Si placet, innumeris ex rebus tolle creatis,
Servitiumne sibi socium, sociumque favorem,
Praestabunt unquam? conjunctis viribus, uni [400]
Numne tibi cuncta haec posse inservire putabis?
Ergo creaturis quicquid virtutis inesse
Cernimus, & quicquid motu ac spiramine pollent,
Hoc tu vincis, homo, solus, ratio tua sola
Dispersas aequat vires, & continet omnes.

Per mare, per terras, tepidasque per aëris oras,
Fac, transire oculos mentis. Quid ubique locorum
Spectas? materiem multam, variam, intus agentem,
Concipit, excludit, generat, disrumpitur, edit
In lucem varios foetus. Progressio vitae
Quanta hic, quam longe tenues hinc vadit in auras!
Quant superficiem terrae locupletat & ambit!
Quam vel ad extremas marium ac telluris abyssos
Descendit? Sensus vitaeque haec quanta catena

Hinc inde a summo deduci Numine coepta!
Naturae aethereae! terrestres! Angelus, expers
Corporis! incedens homo corpore! bestia mentis
Exul! aves! pisces! vermes! insecta minuta!
O nexus nullo capiendus acumine mentis,
Nullo oculi, nullis illius viribus artis,
Quae vel millenis vicibus protendit & auget
Mirifice humanos visus! nexum loquor, orsum
Ex infinita caussa, dehinc ordine euntem
Ad fines, homo vane, tuos, te deinde relicto
Cessantem in nihilum; seriemne hanc mente prehendis?
Supra nos positas detur contingere vires
Nobis, infra nos quae sunt, adscendere nostram
Sphaeram tentarent. Alias monstrosus hiatus,
Et spatium vacuum, totis in nexibus, esset,
Uno ut sublato rerum discrimine, & uno
Dempto forte gradu, rueret proportio tota,
Tota intercideret, membro uno absente, catena,
Hoc si vel fuerit millesima portio membrum.

Mundus habet, servatque sibi, motusque gradusque
Certos quisque suos, spectantes non minus ipsum,
Quam mundorum omnem, certa ratione, catervam.
Ergo fac, unius confusio fiat & error
Orbis, nonne sua turbatus sede, ruinam
Totius ducet secum, ac systemata mundi
Cuncta haec evertet simul, haec miracula rerum.
Terra, aequilibrio laeso, quo vertitur orbe,
Continuo excideret. Stellae, sol territus ipse,
Errarent, sine lege, vagae per inania coeli.
Angelus ex coeli sphaera, cui praesidet, alta

Horribili pulsus fato discurreret exlex,
Ens enti irrueret, ruerent absque ordine toti
Sedibus ex imis trusi super orbibus orbes.
Centris excussi, fundamentisque remotis,
Instabiles coeli dubio certamine sese
Destruerent. Tota haec tandem natura, rebellis [450]
Facta, Dei gemitu fremituque obtunderet aures,
Regalemque thronum. Rerum admirabilis ordo
In nihilum totus misere collapsus abiret.
Et cujus tandem caussa, cujusque favore?
Numne tui, mortalis homo, miserabilis hujus
Telluris vermis? quae te dementia cepit?
Quis tumidae mentis fastus? quisve impius error?

Si pes subjectis natus factusque premendis
Pulveribus terrae, aut vario data dextra labori
Praestando, in capitis temere adspirarit honorem;
Si caput aut oculus contristarentur, & auris,
Mancipio quod sint, sint instrumenta jubentis
Ducentisque animi. Quanta haec insania voti!
Nec vero in grandi compage vel ordine rerum
Et minus impietas foret, & minus absonus ausus,
Si pars alterius sphaerae pars esse praeoptet,
Sique observatos ulla ratione rebellet
Contra defectus, sumus quos Arbiter ipse
Rerum consilio prudenti jussit adesse.

Quicquid ubique rei est, non est, nisi portio mundi.
Natura est corpus. Directrix corporis hujus
Mens ratioque Dei est. Deus unus semper & idem
Cum rebus variis varie mutatur in horas.

Non minus in terrae ac marium moderamine vasto,
Quam coeli imperio, grandis spectatur & aequus.
In Zephyris recreat spirans, in solibus ardet,
Emicat in stellis, in plantis floret & herbis.
In vita vivit quavis, extenditur una
Rebus in extensis. Se expandit, nec tamen ulla
Scinditur in partes. Impertit munera large,
Et nihil amittit. Nostrae in spiramine spirat
Mentis, & influxu suavi vegetatque animatque
Mortalem nostri partem. Perfectus utrinque,
Sive hominis formet praecordia, sive capillum.
Sive hominem tenuem, de vita ac sorte querentem,
Aspiciat, seu sit super ignea sidera vectus
Angelus ante oculos, & amore & laude repletus.
Nil sublime Deo, nil ipsi ignobile quicquam,
Nil celsum, aut humile, est. Parvum nihil, & nihil amplum.
Cuncta replet, nectit, capit, ambit, limitat, aequat.

Ergo queri cessa. Cessa hujus dicere leges
Mundi imperfectas, vel iniqua haec vincula rerum.
Quae taxas, vitae sunt fundamenta, salutis
Sunt & origo tuae. Temet cognosse labora,
Punctum scire tuum discas. Nae lucis & umbrae
Justum ac felicem modulum tibi Numinis aequa
Dextra impertivit. Cede ergo, cede, age, juri,
Sitque tibi certum, sit & alta mente repostum,
Tam te felicem, tam te certe esse beatum,
Quam modocunque potes, seu sit, quo degis in orbe, [500]
Seu quocunque in alio. Tibi nil persuasius esto,
Quam quod in illius, qui prospicit omnibus, & qui
Cuncta regit, manibus sita sit tua sorsque salusque,

Sive illam tibi det, primum cum lumina vitae
Aspicis egressus tenebrosa matris ab alvo,
Seu, quid enim referat? postrema mortis in hora.
Ars, totum naturae opus est, incognita nobis.
Fortuna & casus quidnam est? directio prudens
Consiliumque bonum, quod tu comprehendere nescis.
Quod pugnare putas, tantum est discordia concors.
Particulare malum, quamvis videatur iniquum;
Est generale bonum! Rumpantur ut ilia Codro,
Et quicquid ratio tua falli & fallere sueta,
Quicquid vaniloquus contra ausit dicere fastus,
Hoc verum, hoc certum, luce omni hoc clarius esto:
Estque manetque bonum, ac perfectum, quicquid ubique est.

Epistola Secunda De Natura et Statu Hominis
In Relatione Ad Se Ipsum Tamquam Individuum Considerati.

Disce igitur temet recte cognosse, nec aude
Magna Dei penetrare tuo mysteria sensu:
Est, homo quod studeas, proprie quod discas, homo ipse.
Nempe, ut in angusto positus divinitus Isthmo,
Naturae est mediae, mediae est sortisque statusque.
In tenebris sapiens, sine forma, grandis, & arte.
Sat doctus, dubiis ne se committat ineptis,
Quae, sine fine, sibi fingit male Sceptica turba.
Sat miser, ad vanos Stoicae virtutis hoores
Ne grassari ausit! Veluti suspensus & anceps
Haeret, agat ne? intra dubitat, vel numne quiescat?
Numne Deum sese vel brutum, judicet, esse?
An menti corpus, vel huic an praeferat illam?
Nascitur, ut mortem subeat. Meditatur, ut erret.
Et ratio ipsa quidem meditans, dum cogitat audax
Aut multum nimis, aut parce nimis, errat utrinque.
Affectus ratioque simul mortalia turbant
Pectora certatim, en rudis indigestaque moles
Materiae variae; quanta hic confusio regnat!
Nunc homo seducit sese, nunc se extricat idem.
Natum credideris, nunc ut tollatur in altum,
Nunc lapsu graviore ruat. Rex atque Magister
Rerum. Rerum idem fit praeda, fit ipse minister,
Unius veri custos, atque arbiter unus,
In mille errores praeceps ruit. Est homo certe
Aenigma, opprobrium, lusus, laus, gloria mundi.

Vade, homo, mille tuo in gremio miracula gestans,
Quo te multa trahit retrahitque scientia, vade,
Terrarum metire sinus, expende vagantem
Aëra lance aequa: fluxum maris atque refluxum
Dirige. Quem cursum, quem casum quisque planeta
Et quaevis soleat, dic ordine, stella tenere.
Platone, aethereas, divo Duce, scande per oras.
Ad summum contende bonum, summeque decorum,
Summe perfectum quid sit, digito indice monstra.
Aut labyrinthaeos velut ingrediendo meatus,
Quorum non deprensus & irremeabilis error
Terrorem incussit fallacia signa secutis,
Exuto sensu rectae rationis & usu,
Dic imitatorem summi te numinis esse,
Non secus, ac mystae male sani gentis Eöae
In varios misero torquere volumine gyros
Corpora consueti, capitum vertigine tali,
Circuitus credunt imitari solis & ores.
I pede felici, leges praescribe regundi
Aeternae menti & cassae; mox deinde reversus
Tecum habita, & noris, quam sit tibi curta supellex,
Quam sis cum sana ratione insanus, & infans.

Mortalem superi coelesti nuper ab arce
Spectantes hominem naturae expromere leges, [50]
Ingeniumque humilis mirati animalis & artes,
Non secus aspiciunt calatum tubulosque tenentem
Newtonem, ac nobis solers se simius offert.

Stellis qui motus varios designat & orbes,
Hiccine motum animi poterit cohibere vel unum,

Et certo finire loco? quam quaeque leventur,
Et quam descendant, ostendere, sidera motu,
Doctus homo, poteritne sui monstrare vel ortum
Primum, aut occasum, certa ratione, docere?
Prodigium quantum! potior se tollit in altum
Pars hominis, ducens sine fine ex artibus artes.
Ad se si redeat, sua si quae munia tractet,
Vix operis ratio primum deducere filum
Coepit, & affectu textura evertitur omnis.

Sunt duo, quae regnum mortali in corde capessunt,
Principia, hinc proprii vis atque instinctus amoris,
Hinc ratio. Ille movet, pellit, trahit, excitat, urget.
Haec monet, hortatur, retrahit, tranquillat, & arcet.
Absit, ut appelles unum justumque bonumque,
Atque malum injustumque aliud Sectatur utrumque
Certum ac producit finem; varios ciet unum
Ac nutrit motus, unum regit, atque gubernat.
Quicquid cuique favet, finem quod promovet, omni
Jure bonum, contra quod cuique repugnat & obstat,
Quod finem laedit cujusque, malum esse putetur.

Principium motus amor est proprius; movet ille
Impellitque animum: ratio res exigit aequa
Lance, ac subjectas aequis moderatur habenis.
Ex his principiis unum si tollis, ab omni
Exul homo motu vitam producet inertem.
Tolle aliud, sine fine ruet, ruet absque quiete,
Aut plantae similis, cauli quae semper inhaeret
Fixa suo, ut vegetet, generet, moriatur, & absit;
Aut inflammatis a sole vaporibus illis,

Qui condensatis per inanes viribus auras
Nunc sine lege ruunt, nunc vastant obvia quaeque,
Vastati tandem propriis ex ignibus ipsi.

Principium impulsus vires ac robora plura,
Quam rationis habet, pulsus motusque regentis.
Omnis principii primi vis est in agendo.
Permovet, inspirat, stimulat, premit, incitat, ardet.
Alterius natura studet paci atque quieti,
Facta, ut disquirat, deliberet, atque retardet.
Fortius esse solet proprii molimen amoris,
Quo propior, cuius stimulante cupidine fertur,
Res est. Res praesens, sensu praesente, fit ipsa.
Visum recta bonum ratio procul aspicit, atque
In certo distans spatio. Res cauta futuras
Prospicit, invigilans, quidve hinc, quidve inde, sequatur.
Segnus irritant rationum pondera mentem, [100]
Quam quae sunt oculis specia sujecta placente.
Sic est. Lucis habet ratio plus, virium amoris
Plus habet instinctus: ratione utatur oportet,
Culturaeque ejus patientem accommodet aurem,
Vim proprii quisquis suspendere gestit amoris.
Attentum studium, docilis solertia, & usus
Multa valent. Horum rationem roborat aequa
Quodlibet, ac proprii cursum restringit amoris.

Surgat subtilis misereque scholastica turba,
Quae magis in partes scindit, quam nectit & unit.
Surgat, & audacter partes, quas diximus, inter
Unitas doceat pugnas atque arma cruenta.
Hi sunt quippe Viri, quorum temerarius error

A virtute audet divinam gratiam, & aequ
A ratione audet sensus divellere amicos.
Ingenio dites, stultorum more modoque,
Consortis pugnant manibus de voce vel una,
Quam vel non capiunt prorsus, vel denique, summam
Quod vocis concernit, idem sentitur utrinque.

Nempe amor & ratio metam contendit ad unam.
Quod dolet, & curas parit, aversatur & odit.
Quodque voluptates praefert, ac procreat, optat.
Unum res avido totas quasi devorat ore;
Melque unum, instar apum, oblatis ex floribus haurit,
Cauta satis, florum ne quemquam vulnere laedat
Vel bene, vel contra secus intellecta voluptas,
Nunc summam nobis offert, affertque, salutem,
Nunc summum in gremio fert excluditque dolorem

Affectus motusque animi, sibi dediti amoris
Jure modos dicas varios, variasque figuras.
Apparens verumque bonum simul excitat omnes.
Ut tamen haud natura boni fert omnis, ut illud
In certas sectum partes queat esse seorsim;
Nec minus ipsa tamen ratio vult, ut sibi quisque
Prospiciat, tales quoque nostro in pectore motus,
Qui nobis possunt proprii debentque vocari,
Existunt, qui, dum mediis utamur honestis,
In partes rationis eunt, hujusque merentur
Attentas curas. Alii, sua qui bona norunt
Partiri, affectus multo sibi nobiliorem
Praefiunt finem, ac, propriam stirpemque genusque
Nobilitando, bonum virtutis nomen adoptant.

Quam velit invicti virtutem roboris, omni
Exutam sensu, figat Stoa, sensibus orba,
Tota haec fatorum domitrix ac regia virtus
Tota refert glaciem, cuius, quae cogat in arctum,
Vim merito dicas, omnem praecordia versus
Dum violenter agit succum ac spiramina vitae.
Verum animi virtus, animi vis, actio tota est,
Non requies. Animi tempestas concita partem [150]
Devastare potest, ipsis tamen horrida turbis
Et motu adverso, totum opportuna tuetur.
Diversa vastum ratione homo navigat aequor
Vitae: animi motus sunt ventus: nautica pyxis
Est ratio: tranquilla vehunt non aequora tantum
Numen, & in ventis, & fluctibus ambulat ipsum.

Affectus aequa, ac naturae elementa, creati
Ad bellum ac turbas, suavi tamen ordine mixti,
Semper opus praestare Dei nutumque laborant,
Viribus unitis: animum rege, motibus uti
Disce animi, ac, si non parent, compesce catenis.
Numne potest hominem vastare, quod efficit illum?
Hoc age, ne ratio vestigia certa relinquat
Naturae. Quicquid mentem perturbat, & urget,
Subjice, vince, tene. Naturae cede Deoque.

Spes, amor, atque, horum quae vim complectitur omnem,
Laetitia, en risu blandam comitata doloso
Turba voluptatem! timor, aversatio, & aeger
Moeror, en exorti funesta caterva doloris!
Haec scite inter se si commiscentur & arte,

Justis quodque suis inclusum finibus, aequam
Defigunt mentis stationem, illamque tuentur.
Haec simul & lucem faciunt in imagine & umbram,
Quorum pugna decens relevat vitam atque colorat.

Semper, quod volupe est, & quod delectat, habemus
Aut praesens oculo, aut dextra plaudente prehensum.
Neutra si quicquam grati ratione tenemus
Amplius, ante oculos, quod abest, mens sistere novit.
Corporis ac mentis labor omnis, nisus & omnis,
Huc reddit, ut praesens teneatur capta voluptas,
Et via sternatur fundamentumque futurae.
Fert secum sua quaeque irritamenta voluptas.
Non vis cujusque est eadem, non impetus idem.
Diversos sensus diversa objecta ferire
Diverse, nosti. Fit ab hoc discrimine sensus,
Ut magis, aut minus, inflammet mens concita partes
Corporis organicas, prout haec commotio nempe
Aut magis, aut minus, est mentis violenta. Fit inde,
Passio praedominans ut non secus, atque Aäronis
Serpens serpentes reliquos, absorbeat omnes.

Vitam nactus homo mortis nanciscitur una
Principium occultum. Morbus, velut anguis in herba
Qui latet, ac tener est, mortem quoque procreat olim,
Vivit, & augmentum pariter cum corpore sumit.
Non secus est animi morbus, velut insitus, inde
A primo nobis ortu, qui deinde per omnem
Naturam grassans, affectum conficit illum,
Totam qui mentem mox occupat atque gubernat.
Vitalis datus est, totum quo corpus alatur,

Humor, at affectam magis influit ac juvat ille [200
Corporis atque animae partem. Sic mens ubi vires,
Quas habet, expromit, confestim, pectora quicquid
Inflammat, fluidis quicquid caput ignibus implet,
Aegrotam in partem, facto velut agmine fertur,
Ingeniumque, malum hoc, fallacibus artibus auget.

Affectum natura parit, solertia nutrit.
Mens, vigor ingenii, naturalisque facultas,
Affectum multo pejorem reddere suevit.
Ipsa adeo ratio, conjunctis viribus, ensem
Exacuit magis, & magis hujus perficit ictus.
Non secus, ac radius ridentis solis, amico
Influxu, morsus acuit, vimque auget aceti.
Passio praedominans, quae sit modocunque, pudendas
Infirmae tandem ratione immittit habenas.
legitimae cives reginae sorte dolenda
Quam premimur misere! miserae parere videmur
Reginae, & certae illius paremus amicae.
Eheu nos miseros! Leges, non arma ministrans
Debita, quid praestare potest ratio, nisi nostram
Ut nos stultitiam doceat, nostramque dolere
Naturam & sortem, quas emendare laborat
Frustra? Accusatrix austera, imbellis amica,
Mox justo caussae de judice facta patrona,
Quod sequimur, facinus nobis persuadet, ut aequum,
Aut jubet esse ratum, male quod commisimus olim.
His quoque, quae fingit, late victricibus armis
Jactabunda suis, adstrictos dicit habenis
Affectus aliquot modicos, ut deinde triumphet
Fortior, & contra jus fasque indigna capessat

Regna, ut, quos Medicus superasse putabat, in unum
Collecti humores tremulam peperere podagram.

Immo, naturae praestantior omnibus esto
Trames, palmam habeat: sequere hunc: tutissimus ibis.
Hacce via ratio non dux, sed fidus Achates,
Sed comes est. Animi non haec evertere debet,
Sed regere, affectus. Affectus principis illa
Non inimicus erit, sed amicus, & arbiter aequus.
Passio, quae regnum tenet, est impulsio fortis,
Altius orta, homines diversis finibus aptans.
Affectus reliqui nunc huc, nunc motibus illuc
Impellunt agitantque hominem, variabilis instar
Venti, sed dominans in pectore passio semper
Ad latus & littus certum conjectat & unum.
Tu sive indomito ducaris amore sciendi,
Sive potestatis, tua seu praecordia cogat
Auri sacra fames, vani seu gloria honoris,
Seu te, quae nostri est fortissima passio cordis,
Tranquillae teneat vitae sortisque cupido:
Unum hunc, dum vivis, dum spiritus hos regit artus,
Affectum sequeris, vitae ipso saepe periclo. [250]
Et labor extremos hominis currentis ad Indos
Mercatum, vultusque tenax sapientis utramque
Ridentis sortem, & Monachi devotio coeca
Atque humilis, bellatorisque superbia & ausus,
Cuncta haec nonne sua sese ratione tuentur?

Ingenii Deus aeternus possessor & artis
Ex quounque malo sancta producere novit
Arte bonum. Affectu dominante superstruit idem

Fundamenta tuae certissima quaeque salutis
Sic hominis veluti fixus constansque tenetur
Mercurius vivus. Quicum virtus bene mixta
Fortior evadit. Quod restat crassius, illud
Mollitem tollit nimiam virtutis, & addit
Robur. Sic commune bonum sectantur, & inde
Mens & corpus agunt studiis & viribus unis.
Quae diu prudentis studium curasque fefellit
Cultoris, trunco silvestri inserta propago,
Fertilis evadit, fructusque & praemia portat.
Non secus ex ipsis capiunt affectibus ortum
Virtutes solidae inmprimis, naturaque vitam
Silvestri stirpi communicat atque vigorem.
Quis vigor ingenii, quae virtus, quae benefacta
Ex obfirmato studio, tristique dolore,
Ex odio atque metu, felici flumine, manant!
Ira animum stimulat, zelo implet, vim dat agendi.
Consilium mentis prudens parit, excitat, auget,
Auri coecus amor. Musarum castra secutos
Otia blanda juvant. Virtus est aemula doctis
Belligerisque viris, livor, qui ignobile vulgus,
Et viles animas, fraenis ligat atque catenis.
Pura & limitibus certis inclusa voluptas
Est amor, est bellis animis dulcedo decora.
Virtutem nullam in sexu laudamus utroque,
Quae non ex fastu solet aut manare pudore.
Sic, o si nostrum queat haec res frangere fastum!
Sic natura parens vitiis cum corpore natis
Vicinas nimis, atque uno quasi sanguine junctas,
Virtutes progignit: habet ratio globuli vim
Ex latere obliquo nos divertentis ad aequum.

Nero, si volupe fuerit, regnasset ut ipsum
Delicium humani generis, Titus. Impetus, ira,
Et furor in Decio virtutis nomine splendet,
Et Curti pectus divinis ignibus implet,
Dum monstri horrendi faciem gerit in Catilina.
Nunc pestem ambitio, nunc parturit ipsa salutem,
Nunc civem justum, patriae nunc efficit hostem.

Hac in mole rudi nostra, quam jure queamus
Appellare Chaos, mixtas quis lucis & umbrae
Distinguat formas, quis sistat utramque seorsim?
Est Deus in nobis; Deus hoc effecerit unus [300]

Aequalem finem naturae extrema sequuntur
Producuntque homini: mire miscentur, & unum
Naturam alterius finemque invadit ad usum
Mirificum. Quis sit cujusvis finis & ortus,
Quo casset puncto virtus, quo limite contra
Incipiat vitium, nequeas discerere sensu.
Tam subtile subest ora discrimen utraque,
Tamque unum alterius vires superare laborat.
Non secus ac pulchra & perfecta in imagine cernis,
Belle inter sese contendere lumen & umbram.

Ex his quam stultum fuerit, concludere velle,
His neque vel vitiis, neque vel virtutibus, ullum
Esse locum in terris. Atrumne prehendis & album
Mire inter sese mixtum, textumque decenter
Mille modis, ideone nigrum nihil esse, nec album
Amplius, exclames? proprium fac consule pectus.
Res patet, inque vado est: errorum noscere fontes,

Hoc opus, hic labor est, hoc tempus poscit & usum.

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum,
Est vitium. Specta. Satis, averseris ut istud,
Est caussae. Si saepe nimis spectamus id ipsum,
Assuescit nostris oculis, mutatque figuram.
Nunc illud ferimus, posthaec queritando dolemus.
Conjuncti tandem amplexus atque oscula dantur.
Quae tamen extremae vitii sint, dixerit, orae,
Nemo sibi constans. Ubi sit septentrio? quaere.
Eboraci fueris, septem tunc esse Triones
In Scotia dices. Scotiae mox incola factus
Orcades esse putas. Posthaec Groenlandia, tandem
Vel Nova Zembla tibi Boreus signabitur axis.
Nemo sibi quisquam summe malus esse videtur,
Vicinum semper pejorem cogitat esse.
Ipse homo sub Zona vitii torrente locatus,
Fari si fas est tali ratione, furorem
Vel sentire negat flammae, vel nescit eundem.
Quod parit horrores animis felicibus, esse,
In vitiis firmatus ait, rectumque bonumque.

Omnis homo virtutis habet vitique perennem
Secum mixturam. Paucos extrema tenere
Conspicias, omnes, certa ratione graduque,
Virtute ac vitio gaudent. Sceleratus & amens
Nunc virtutis amans, nunc prudens, esse videtur,
Fortuito casu. Casu simili quoque mentem
Saepe probam videas facinus tentare, quod horret.
Non toto ex studio, sed tantum ex parte solemus
Virtutem vitiumque sequi, propriique subinde,

Virtus an vitium fuerit, dominantur amores.
Unusquisque suum sibi habet finemque scopumque
Ante oculos positum. Finis sed grandis & unus
Est, quem summus habet Deus: hic pariter scopus unus [350]
Ad totum spectat mundum. Deus ergo furorem
Stultitiamque hominum fraenis quamcunque coërcet,
Effectus cohibet sceleris, fructusque malignos
Avertit vitii. Felicem impertit aequa
Ordinibus cunctis defectum. Cessit honestus
Virginibus pudor, imperiosa superbia nuptis,
Anceps consilii timor aulae sorte ministris
Divina cessit, virtusque ferociter audax
Bellorum ducibus, sapiens elatio mentis
Regibus, integritas vulgo male credula cessit.
Virtutis fructum vana producit ab ipsa
Ambitione Deus, non quaestum, aut praemia, nullam
Mercedem, laudes tantum famamque petente.
Sancta ergo, humanae mentis defectibus ipsis,
Laetitiam, atque decus, pacemque, superstruit arte.

Aspicis, ut semper dependeat alter ab uno.
Sunt semper domini, sunt servi, sunt & amici.
Sic voluit Deus; idem, ut conjungantur amicis
Officiis homines animisque, hoc ordine sanxit.
Totius sic fit robur, penuria partis.
Mens impos, animus patiens, defectus, egestas,
Arctius adstringunt communis vincla salutis,
Aut jucunda magis retinacula mutua reddunt.
His & amicitiam, & verum debemus amorem,
Ipsam laetitiam, pacem, mentisque quietem,
Cujus in hac vita modo possumus esse capaces.

Hi quoque defectus faciunt, ut tempus & aetas
Inclinata velit procul esse Cupidinis arcus,
Atque voluptates. Ratio constans sibi partim,
Partim debilitas naturae, exhaustaque virtus,
Expectare jubent mortem constanter, & hujus
Lubrica non trepidante sequi vestigia calce.

Quae modocunque hominis dominetur passio corde
Gloria seu fuerit, seu vana cupido sciendi,
Seu sit divitias amor insatiatus habendi,
Alterius nemo, studio, quo ducitur ipse,
Deserto, studium votumque admittere gestit.
Se solum sapiens existimat esse beatum,
Si queat occultos naturae intrare recessus;
Felicem contra insipiens, quod nesciat illos.
Dives opum gaudet positis in foenore nummis.
Gaudet sorte sua contentus pauper, & unis
Numinis indormit curis. En! carmina fundit
Gibbosus. Saltat laeto pede lumine laesus.
Regem se credit stultus; bene potus & exlex
Heroëm. Chymista, infelix conditor auri,
Spebus in auratis, Musisque Poëta, superbit.

Quam sint, quaeso vide, solamina plena stuporis,
Cujuscunque status comites. Communis amicus
Omnibus est unus datus, ambitiosa cupido. [400]
Aetatem sua quamque trahit, sua quamque voluptas
Delectat. Quaqua versum comitatur euntes
Spes bona mortales, nec in ipsa morte relinquit.

Usque huc diversis & inaurat opinio nostrae
Et recreat radiis nubes & tempora vitae.
Quod nostrae deest sorti, nostraeque saluti,
Per spem suppletur. Quodque est in rebus inane
Ac sensu, vanae mentis jactantia supplet.
Te quae cognitio poterat subvertere recta,
Aedificat stabilitque animi hic affectus uterque.
Gaudia despumantis aquae sunt bulla caduca,
E cratere solens stulti procedere cordis.
Altera mox praesto est spes, si deperditur una.
Ipsa nec in vanum vana est concessa cupido.
Ipse adeo proprius fit amor, moderamine justo
Praevalidoque Dei, non deceptura statera,
Qua ex nostra alterius nobis penuria constet.
Hoc igitur verum, plenum hoc solamine dicas:
Quam sit stultus homo, Deus est sapientia totus.

Epistola Tertia De Natura et Statu Hominis
Spectati in Relatione Ad Alios Seu Societatem.

Ergo hoc est ratum: Summa unum servat agendo
Caussa scopum, at variis huc suevit legibus uti.
Quicquid stultitiae bene sani corporis usus,
Quicquid te luxus doceat male sana cupido
Gloriae, opes quantum laedant tollantque pudorem,
Noctes atque dies expendere discito veri
Hanc summam; in primis hanc verbi, discito, praeco,
Auditorque Deum querula qui voce precaris.

Quem colis, attente totum circumspice mundum,
Quod ligat, atque unit cuncta haec sursum atque deorsum,
Quo decet, expendas examine, vinculum amoris;
Quam foecunda, vide, tota huc natura laboret.
Nonne atomis atomos quasi brachia tendere cernis?
Quique est attractus, nonne hic alium attrahit ipse,
Qui variam nactus posthaec formamque viamque
Vicinos alios socio amplexatur amore?
Nonne vides variam, & vestitam mille figuris,
Materiem ad certum niti ac descendere centrum,
Ad commune bonum? Morti data planta vicissim
Sustinet alterius vitam. Dissolvitur herba
Non raro, ut vitam, miro ordine, vivat eandem.
Forma nova insequitur formam, quae desiit esse.
A vita ad mortem, mox ipsa a morte redditur
Non secus ad vitam, ac alto super aequore bulla
Nascitur, alta petit, volat, atque revertit ad aequor.
Hic nihil est exul: nihil est a mole resectum.

Omnes ad totum referuntur in ordine partes.
Spiritus intus agens, sapiente per omnia sensu
Ac virtute means, rerum moderator & altor,
Res quascunque, manu gestans quasi vincula, secum
Conjungit, copulat, sociat, ligat, implicat, unit.
Maxima cum minimis, cum summis glutinat ima.
Est homini brutum nunc utile, nunc homo brutis
Inservit. Quicquid servit, servitur id ipsum.
Nil extat solum: rerum infinita catena
Continuat seriem. Seriei finis ubinam?

Stulte, tibine Deus soli est, solumne laborat,
Ut tibi sit soli bene, sint tibi cuncta saluti,
Tu tantum ut vestes habeas, laeteris ut unus,
Unus ut orneris, victuque fruaris ut unus?
Nae tibi qui gracilem fecit discurrere cervam
In silva, & victim & spectacula grata daturam,
Hic quoque, pro cerva, viridianibus induit herbis
Prata. Tibine leves coeli se tollit in auras,
Et cantus, tremulo de gutture, fundit alauda?
Sensio laeta sonum & trepidantes excitat alas.
Num philomela tibi resono modulamine cantat?
Est amor, est intus stimulis exerta voluptas,
Quae jubet artifici depromere gutture carmen.
Cernis equum phaleris ditem, ac cervice superbum, [50]
Nonne voluptatis partem sibi vindicat unam
Et laudis, quam captat eques, calcaria subdens?
Suntne tibi soli fruges & semina terrae?
Falleris, & merito repetent sua grana volucres.
Numne tibi locuples, quam profert aureus annus,
Soli messis erit? Merito pars jure labori

Cedit fumantis, duro sub vomere, tauri.
Qui voci parere tuae, qui ferre labores
Nescit, nonne tua enutrit vigilantia porcum?

Scito igitur, quicquid naturae prodit ab alvo,
Dividit aequali secum ratione laborem.
Quae solet a rigido defendere frigore regem
Pellis, villosum quondam defenderat ursum.
Cuncta meis, exclamat homo, cuncta usibus adsunt.
Cuncta, saginatus, nostris sunt usibus, anser
Contra ait. Et quid non curarum impenditur, anser
Ut bene servetur, sedeat bene, alatur ut apte.
Unum hoc praeterea nil quicquam percipit anser,
Nescius omnino, quod conservetur ad esum.
Quantum nosse potest rerum, bene cogitat anser.
Anser homo fuerit, secum si cogitet, *uni*
Omnia quod fas sit servire, nec omnibus unum?

Finge, quod imperio tenuem constringat & armis
Fortior, & mundi mens rectrix atque magistra
Quod sit homo. Semper domat hunc natura tyrannum.
Quae vel convenient, homo, vel quae forte nociva
Cuique creaturae fuerint, intelligit unus.
Milvius, insidians rostro impendente, columbae
Num parcet, plumae pulchro discrimine tactus?
Vermiculi nitidas pica admirabitur alas?
Audiet accipiter philomelam dulce canentem?
Unus homo cunctis praesto est cura atque labore.
Curat, ut in silvis habitent generentque volucres,
Ut pecora in laetis habeant sua pascua pratis,
Et, quibus insideant, habeant sua flumina pisces.

Sunt, quibus utilitas jubet hanc impendere curam.
Sunt plures, quas una jubet curare voluptas.
Suntque creaturae innumerae, quas vanus & error
Et luxus quaerit, tolerat, sustentat, & omnes
Ex Domini videoas felici vivere luxu.
Ipse est, qui contra rabiemque famemque tuetur
Et contra insultus aliorum animalia bruta,
Quae male docta fames sibi designavit ad esum.
Ornat muneribus varioque impertit honore,
Quae debent ipsi laudem impertire & honorem.
Dum sunt, dum vivunt, reddit felicia. Felix,
Nec sibi fatalem sentit, nec praevidet ictum
Bestia, non secus ac, coeli dignatus amore,
Lethiferi ignorat, nec sentit fulminis ictum.
Antea, quam mortem subiit, bene bestia vixit, [100]
Tune tua fruitus vita morieris & ipse?

Ignorant animae, ratione ac mente carentes,
Utiliter mortem. Haec Deus ipsis otia fecit,
Ac nescire dedit, sapienti munere, mortem.
Unus homo novit, sibi certam incumbere mortem,
Sic tamen, horribilis mors ipsa ut mortis in hora
Spem faciat, tanquam vitae melioris origo.
Hora latet mortis, mortis quoque pallida cura
Hinc procul esse solet. Nunquam vicina videtur,
Sit licet ante oculos nobis data mortis imago.
Prodigium quantum! tota haec praenotio mentis
Non nisi concessa est rationis habentibus usum.
Quicquid ubique rei est, sive hoc ratione regatur,
Seu nudo instinctu, tantum virtutis habere,
Scito, facultatis tantum, cujusque saluti

Quantum conveniat. Dictamina quodque secutum
Naturae, aequali propriam ratione salutem
Adspirat, mediis, quae sint fini apta, repertis.
Instinctus dux est, qui falli & fallere nescit.
Ergo quod instinctum sequitur, numne indiget ultra
Papa infallibili duce, concilioque supremo?
Quam sit cunque capax ratio, plerumque stat anceps.
Auxilio ut veniat, vel serviat, anxia non est.
Non, nisi, ceu miles, solet inservire, coacta.
Plena quiete negat, non exorata, venire.
Saepe venire, licet multum invitata, recusat.
Sponte sua, per seque venit, servire paratus,
Nobilis instinctus. Praesto est, nec deficit unquam.
Difficilis contra ratio nos saepe relinquit.
Ille via semper recta procedit & una.
Haec errare potest, prolapsa in devia mille.
Sunt duo, sunt vivis communia rebus, agendi
Principia, impellens unum, & discrimina rerum
Perspiciens aliud. Brutis animalibus unum
Obtigit, at nostrae naturae cessit utrumque.
Et super instinctum rationem, quam potes, effer,
Instinctus Deus est director, mentis habenas
Et rationis homo, dubio moderamine, tractat.

Quis docuit silvas habitantes & juga campi,
Dispersum in plantis caute vitare venenum,
Nec, nisi quae prosint alimenta, capessere fauce?
Ne pelagi fluctus, ventorumque impetus obsit,
Surgentes turbas, tempestatesque minaces,
Bestia prospiciens, sedem sibi construit arte
Aequoris ad littus: latebras hic praebet arena.

Et tenue & rectum deducit aranea filum,
Nullo usa exemplo, nulla, quae dirigat, arte,
Nullo, quae suspensa regat molimina, circo,
Rectius ut dici vix possint fila Moivro.
Columbi audaces imitata ciconia gressus [150]
Ignotos coelos, peregrinosque involat orbes.
Talia quis docuit celebres pietate volucres?
Concilium illarum quis primum convocat Auctor?
Hosti opponendas tanta, quaeso, arte phalanges
Quis parat, inque via quis euntes ordine dicit?

Sunt sua naturae data semina cuique salutis
Munere divino. Fines praescribit & ortus
Cuique Deu sapiens. Mundum, variosque creando
Mundi connexos orbes, ut sit bene toti,
Defectus partis varios, variae esse salutis
Fundamenta, Deus voluit. Fuit ordo salutis
Talis, & a prima regnavit origine rerum.
Sunt res cum rebus vinclo haud pereunte ligatae,
Estque homo continuis homini copulatus amoris
Nexibus. En! quicquid, vitae omnis fons & origo,
Coelum animat, quicquid tepidis respirat in auris,
Quicquid in aequoreis vivi generatur abyssis,
Quicquid in his vitae gaudet spiramine terris,
Vitali flamma natura haec omnia nutrit,
Indeque produci genitalia semina curat.
Non homo solus amat, quicquid silvestribus errat
In campis, coeli quicquid per inane volatu
Fertur, & aequoreis quicquid reperitur in undis,
Ardet amore sui. Sed non unius amore
Ardet quodque sui, sexum quoque quaerit amatque,

Ex binis donec conjunctis prodeat unum.
Neve est amplexus aestu finita voluptas.
Continuatur amor. Vires acquirit eundo.
Inque sui simili renovatis ignibus urit.
Munia certatim sua sic animalia quaeque
Naturae ductu praestant. Alimenta ministrant
Sollicitae matres. Incumbit cura tuendi
Patribus. Et foetus, cura studioque parentum
Postquam adoleverunt, solemni more modoque
Mox emittuntur, terras, coelique marisque
Visuri tractus varios. Haec scilicet aetas
Instinctum sistit patrium. Defensio cessat.
Desinit affectus: rumpuntur vincula: quaerit
Ignes quodque novos: incenditur: urit: amores
Incipiunt alii. Nova stirps succedit & arbor.

Humani generis non est haec tanta facultas
Mollia tam curtis firmandi corpora curis.
Postulat humanae plus informatio prolix
Temporis & curae. Curae istae vincula dignunt
Duratura magis. Magis haec quoque fortia reddit
Vincla amor, utilitas, ratio, prudentia, virtus.
Per dextram occultam congestis ignibus urit
Mutuus intus amor. Sequitur mox optio flamas.
Denique subsidunt animi, fixique tenentur.
Passio quaeque trahit, comitemque incedere cogit [200]
Virtutem quamvis. Utriusque patescit egestas
Partis. Suppetiae praestantur utrinque petiae.
Res abit in morem gratum. Dilectio crescit,
Ex his nacta bonis faustum communibus ortum.
Stirps sequitur stirpem. Soboles generatur ab una

Altera. Stirps genitrix colit atque tuetur amorem
More habituque bono. Generatae stirpis amorem
Fautrix ingenerat natura, illumque tuetur.
Stirps generata hominis vix maturescere coepit,
Inque hominem assurgit, cum se mirabilis offert
Visu oculis species. Vitam quae contulit olim,
Ipsa aegre vivit, succis & viribus orba,
Stirps genitrix. Tenerae aetatis meminisse, voluptas
Esse, senectutem miseram praesumere sensu,
Taedia ferre, solet. Solet hinc pia jure cupido
Justa rependendi nasci, miserosque juvandi.
Sic amor, & pietas, & spes secura futuri,
Communes junctis firmantes viribus usus,
Humanam speciem sartam tectamque tuentur.

Naturam in tenebris, prima inde ab origine mundi,
Atque creaturas jacuisse, putare caveto.
Naturae status est & erat regnum Dei & ordo;
Et proprii & socii progigneabantur amores
Ipso cum mundo; cunctarum erat unio constans
Rerum, hominumque eadem constans erat unio vinclum.
Tum nulla innocuas vesana superbia terras
Vastabat. Nullae, fastus fomenta maligni,
Artes, insidias fraudesque dolosque docebant.
Tumque homines, brutique animi, communiter usi
Ruribus ac silvis, patulo sub tegmine tuti
Arboris umbrosae, sociatis gressibus, ibant.
Una gaudebant mensa, pariterque cubili
Gaudebant uno. Caedes, variaeque rapinae,
Non vestes homini, non haec alimenta, parabant.
Silva, hinc arboribus, resonis hinc cautibus ingens

Delicium efficiens, templum commune struebat,
Quo, quicquid sensus vocisque acceperat usum,
Communem patrem communi laude canebat.
Nec vestita auro, nec foeda sacraria stabant
Sanguine. Purus erat sceleris, vitaeque sacerdos
Integer. Ambitio procul hinc, procul impia caedes.
Coeli communis, coeli mens provida cunctis
Ante oculos illustris erat. Non saeva tyrannis,
Sed regnum, constans & amore & pace, manebat
Laus hominis, reliqua promte parente caterva.

O homo venturi quam differt temporis! auctor
Nequitiae, gaudens & raptu & sanguine, factus
Dimidia in terris vitae mors atque selpulchrum!
Hostis naturae! lacrymae gemitusque latronem
Undique circumstant hominem! latro, proditor, hostis [250]
Ipse sui! varios justosque nefaria morbos
Luxuries gignit, caedemque ulciscitur ipsa,
Sanguine quae miserum satiarat, victima, corpus.
Horribiles animi motus, mentisque furores,
Ex his sumentes primaevis caedibus ortum,
Contra hominem, saevum multoque ferocius ausu
Irritant animal, hominem proh! scilicet ipsum.

Nunc, mortalis homo mediis quibus usus, ad artis
Sensim, a natura, culturam venerit, audi.
Instinctum ratio est comitemque ducemque secuta.
Vade, inquit natura homini, vade, instrue mentem,
Brutorum exemplis ductus. Volucresque feraeque
Carpere te doceant alimenta, ex arbore foeta,
Virtutesque herbae, solerti indagine, nosse;

*Te studiosus apum coetus, mirabilis arte,
Aedificare domus doceat; tibi, scindere aratro
Terras talpa niger, vermis tibi texere, monstret;
Nautilus exilis doceat componere navem,
Uti remigiis, sciteque admittere ventos.
Omnis te generis doceat commercia brutum.
Hic subtus terram monimenta parantur & urbes;
Illic sunt medio suspensi ex aëre nidi,
Suspensa sedes, dubia super arbore factae.
Cujusvis populi, quam vis exilis, & artes,
Et studia, & mores, geniumque, addiscere cura.
Qua formicarum constet respublica lege,
Quod sit apum regnum, regni quae forma, quis ordo.
Ordine rem faciunt illae, sine rege, vagatae;
Hae contra insignis positae sub lege monarchae
Sedem quaeque suam certam, certique peculi
Accepit curam. Quae sit lex illa perennis,
Quae formam regni sartam tectamque tuetur,
Sedulus observa. Nae, quam natura creatrix,
Tam lex est sapiens, quamque immutabile factum,
Tam lex haec apium mutari nescit & ordo.
Frustra audes formare magis subtilia legum
Fila tua ratione tibi, frustraque laboras,
Legum hac textura jus fasque tenere ligatum.
Quin potius summum jus summa injuria fiet.
Fortibus est nimium semper jus debile & impar;
Debilis contra est rigidum nimis, & nimis acre.
Vade igitur, cunctis rebus dominare creatis.
Dignior edoceat reliquos parere minores.
A brutis primum acceptas animantibus artes
Excole Musarum regem te turba coronet,*

Ipsiisque Dei sapientis adoret ad instar.

Haec ubi dicta dedit natura industria, morem
Gessit homo docilis. Sedes conduntur & urbes.
In coetus coëunt homines. Consortia fiunt.
Hic minor, hic major, sensim Respublica surgit. [300]
Nunc homines socio secum copulantur amore
Nunc, cogente metu, finem res spectat ad unum.
Est regio, cuius meliores exhibet arbor
Fructus. Est, cuius currit foecundior unda.
Quae poterat miseri vastare injuria belli,
His uti faciunt commerckia mutua gentes.
Bella igitur, lites, rixae, procul esse jubentur.
Foedera, amicitiae, felicia vincula, fiunt.
Quam non firmabant amor & communio nexus
Humani generis, dum res & nomen amoris
Non nisi libertas erat, & lex nulla ligabat,
Jus nullum, nisi quod secum natura ferebat.
Hac ratione status efformabantur in orbe.
Regis inauditum nomen titulusque latebat.
Utilitas donec communis gigneret unum,
Quem penes arbitrium sit, vis, & norma jubendi.
Unica tum virtus, locupletans artibus orbem,
Et tantum arcendis procul hostibus arma capessens,
Haec, inquam, virtus, natos quae patribus urget
Praestare obsequium, solum praestare valebat,
Princeps ut patriae pater exoptabilis esset.

Huc dum quisque sui coetus Patriarcha suborti
Rex erat, atque pater venerabilis, atque sacerdos,
Imposuit capiti naturae dextra coronam.

Grex quoque subjectus tam confidebat in illo
Non aliter, quam si coram Deus alter adesset.
Nempe oculus leges, oracula lingua ferebat.
E sulcis terrae proferre alimenta docebat,
Flammis jussa dare, & concludere finibus undas,
E maris horribili producere grandia abyssو
Monstra, super terras aquilam deducere coelo.
Tandem cum fieret moribundus, debilis, aeger,
Cooperunt homines hominis mala fata dolere,
Quem nuper coluere Dei immortalis ad instar.
Postea mortales, ad patrem a patre regressi,
Communem ac primum perquisivere parentem,
Hunc & adorarunt devota mente repertum.
Credebant primi, mundum coepisse, parentes.
Haec de principio mundi persuasio prima,
Haec veri intemerata fides a patribus ibat
Non interrupto ad venturos ordine natos.
Est opus, est opifex, aliud. Discrimen utrinque
Grande intercedit. Recte hoc innotuit illis.
Ex opere ergo opifex cognoscetatur, & illum
Recta Deum ratio tantum admittebat & unum.
Nondum perversus mentes corruperat error,
Nondum lucem illam. Ratio, ceu conditor ipse,
Omnia quod bene sint, quod recte facta, videbat.
Virtutem certo pede sectabatur & aequum.
Dux erat atque comes fidus, via & ipsa, voluptas, [350]
Inque Deo Patrem charum reverenter habebat.
Tota fides, totum studium virtutis opusque
In solo ac puro tum consistebat amore.
Jus divum erga homines nullum natura ferebat,
Neve timere mali dilecto a Numine quicquam

Debebant homines, toto de pectore certi,
Ens summum summe esse bonum, nec id esse nequire.
Vera fides, verum regimen, venere sub unum
Tum thalamum. Illa Dei, hoc homium, prodebat amorem.
Quis primum servas animas, & subruta regna,
Hoc fidei docuit sceleratum admittere monstrum:
Plures quod facti sint, quodque operentur, ob unum?
Unde a naturae tam vana exceptio lege,
Quae mundum evertit, caussae obluctata supremae?
Vis expugnabat primum. Expugnatio leges
Postea condebat. Donec reverenter habere
Stulta supersticio, posita quasi lege, tyrannum
Jussit. Divisa est mox inter utrumque tyrannis.
Nempe supersticio, ex debellatore tyranno,
Fecit coeca Deum, fecitque ex cive sequaci
Mancipium miserum. In partes astuta vocavit
Coelestes ignes, tonitruque & fulminis ictus,
Concussos montes, tremefactaque viscera terrae.
His usa auxiliis populum prostravit inertem,
Elatosque animos, species, simulacra, chimaeras,
Istarum auctores rerum, prece adire coëgit.
De coelo in partes scisso descendere divos,
Prodire e terris monstra infernalia fecit.
Hic sedes Stygias, metuendaque regna locavit,
Illic Elysios fortunatosque piorum
Constituit campos. Effecit Daemonas horror.
Effecitque Deos miseris spes credula votis,
Nempe Deos, partem solitos in utramque moveri,
Queis erat ingenium varium & mutabile semper,
Fraudis amatores, servosque libidinis omnis,
Vindictae cupidos, ira luxuque nefando

Hinc inde abreptos, ejusdem denique mentis
Naturaeque Deos, hominum prout ipsa creatrix
Mens erat. Horribiles sitientia pectora caedes,
Divorum in coetu, credebant esse tyranni.
Ira inflammatus zelus, non ardor amoris,
Dux fuit illorum. Truculenta superbia, coelum,
Infernale odium, tenebras stabilivit Averni.
Postea cessabant sancta esse palatia coeli.
Templa struebantur. Conficta idola nitebant.
Multo surgebant altaria sanguine plena.
De viva primum nutritus carne sacerdos,
Mox foeda humano tinxit simulacra cruento.
Coeli sulphureo terrebat fulmine terras,
Prodibatque Deus, velut hostem machina terrens. [400]

Sic amor, in sese nimium conversus & unum,
Per fas, perque nefas, & opes, & culmina honorum,
Atque voluptates, violento corripit aestu.
Idem amor, ad cunctos tendens sua brachia, caussas,
Cur motus aestusque suos restringat, habebit.
Idem amor imperii ac legum bona fiet origo.
Si, tu quod cupis, id cupiant alii quoque plures,
Velle tuum nihil est. Tua, quaeso, sola voluptas
Quid tandem contra multorum vota valebit?
Qua bona parta tibi ratione tueberis unus,
Quae vel, si somno jaceas & nocte sepultus,
Subtrahet infirmus, vel dextrae fortior hostis
Eripiet vigili. Securae amore ergo quietis
Ut libertatis, fas est, restringat amorem.
Utque id servetur, quod quilibet optat habere,
Fas est, ut cuncti finem socientur ad unum.

Ipsi ut securi reges dominantur, & absit,
Quod metuunt, verum justumque colunt & amorem.
Ergo amor infringat proprius molimina prima,
Privatusque insit communibus usibus usus.

Rebus sic gestis, studiis mens dedita honestis,
Aut pulchris animus generosisque aestibus actus,
Numinis aut summi sapiens imitator, amicus
Aut hominum, civis bonus, aut bonus, ecce! Poëta,
Surgit, restauratque fidem, ac virtutis amorem,
Ceu primum humano generi donarat utrumque
Natura. Antiqua haec, & non nova lumina reddit,
Accenditque iterum. Producit imaginis omnem
Divinae, si non formam, tamen instar & umbras.
Reges ac populos docet aequis juribus uti,
Nec laxare nimis, nimium nec stringere fraenos,
Maxima cum minimis tam conciliare scienter,
Haec ut qui laedat temere, subvertat & illa.
Cunctorum ut secum pugnantibus usibus, unum
Sub foedus nesis, statuum concentus & ordo
Unanimis fieret. Mundi haec perfectio magna est,
Rerum ex consensu variarum & nexibus orta.
Fortia cum miseris, cum parvis grandia, in unum
Hic abeunt finem, facta, ut sibi quaeque ministrent,
Non noceant, firment quodvis, non debile reddant,
Prosint, non perdant. Tanto quis fortior hic est,
Quanto plus aliis simul inservire laborat.
Tam quis erit felix, alios quam reddere norit
Felices. Punctum hic res quaeque feruntur ad unum.
Unum hic cuncta petunt, vario licet ordine, centrum,
Bestia, servus, homo dominus, rex angelus ipse.

De regni formis moveant certamina stulti.
Optima quaeque vehens secum, certe optima forma est.
De formis fidei lites & jurgia tractent
Zelotae tumidi. Nemo vitae integer errat. [450]
Huic uni quicquid fini magnoque repugnat,
Falsum est, & quicquid mores emendat & ornat,
Quicquid concurrit facere & servare beatum
Humanum genus, hoc divini muneris esto.

Vitis homo est similis. Fulcris etiam indiget instar
Vitis, & ex socio vires, quas continet, ortum
Amplexu capiunt. Sic unusquisque planeta
Et propriam circum motu uno volvitur axem,
Et simul insignem solis circumfluit orbem.
Non secus in nostro existunt duo pectore motus,
Unus nos ipsos, & mundum respicit alter.

Hac Deus & natura omnem ratione ligavit
Rerum compagem, sancta hac stant omnia lege,
Ut proprii simul & sociales semper amores
Non nisi constituant, varie mixti licet, unum.

Epistola Quarta De Natura et Statu Hominis
In Relatione Ad Felicitatem Seu Summum Bonum Considerati.

O Nostrae princeps naturae atque unice finis,
Summa salus, summumque bonum, fortuna, voluptas,
Et quocunque velis tandem tibi nomine dici!
Quod, quicquid fueris, gemitus in pectore nostro
Aeternos generas. Mortis quod fata pavere,
Quod vitam tolerare facis. Quod quaereris, aequa
Ancipi studio, sanis stultisque, doloso
Oblatum vultu; coelesti o semine nata,
In nostras siquidem delapsa es desuper oras,
Dic, quibus in terris digneris crescere, planta?

Numne tuum blandus radius florem explicat aulae?
Aut pretiosa tuam, cum gemmis, viscera terrae
Occulant faciem? laurisne & frondibus, arte
Intertexta lates, Parnassi? aut falce secaris
in campo Martis? mihi dic, ubi crescis? ubi non?

Culturae est, noster si sit labor irritus; omnis,
Non terrae, culpa. Haud uno certoque tenetur
Vera salus inclusa loco. Reperitur in oris
Nullis, aut cunctis. Procedit libera semper.
Nescit emi vendique. Fugit solium illa Monarchae.
Tecum, Mecenas, habitat, tecumque moratur.

Vade, age, vel totam sapientum consule turbam,
Ad summum quae prona bonum via ducat? In ipso
Lumine delirant sapientes. Praecipit una

Pars servire aliis. Homines fugere altera suadet.
Sunt, quibus omne boni genus actio dicitur esse.
Sunt, quibus alta quies. Huic illud sola voluptas,
Illi contra animi statio tranquilla, vocatur.
Sensu tam vario, tam definitio forma
Constans multiplici, quid tandem gestat in ore?
Nempe bonum, esse bonum, quodque est decus, id decus esse.
Hic ait, a cuncti sensu procul esse doloris,
Esse voluptatem. Quo gressum fixerit, alter,
Anceps consilii, dubius mente ac pede, nescit,
Virtutemque ipsam speciem vanam arguit esse.
Stulta igitur valeat fallacis opinio callis
Instar, naturae vestigia certa sequamur.
Summi quamque boni sortemque statumque capacem
Esse scias. Nemo est, quin hoc acquirere possit.
Non procul est nobis. Nobis se sistit, & offert
Dona, nec extremis rerum consistit in oris.
Adsit recta tuae ratio modo mentis, & adsit
Recta voluntatis cultura & candida virtus,
Quid quantumve alii varia de sorte querantur,
Non minus esse queunt communia dona salutis,
Quam communi homines sensu ac ratione fruuntur.

Summam in agendo, tene, caussam generalibus uti
Legibus, haud mundi partem spectantibus unam.
Quod verum est rectumque bonum, non constat in una
Unius vita, cuncorum spectat & infert, [50]
Summae consilio caussae, vitam atque salutem.
Non est ulla boni cuidam data portio soli,
Quin aliqua ad totam referatur parte catervam.
Non latro crudelis, non percitus igne tyrannus

Vindictae, fastuque tumens, non claustra tenebris
Obsita amans monachus, nemo sibi sufficit unus.
Qui genus humanum fugere aut odisse videntur
Inprimis, quaerunt, se qui mirentur, habere.
Cujus se tradant fidei, sectantur amicum.
De te quid statuant alii, contemnere si vis
Omnino, ex omni languebit parte voluptas,
Gloriaque in tenebris tota obscurata jacebit.
Partem quisque boni cepit, plus si petat, ipso
Percipiet sensu, partem quaesita voluptas
Quod vix dimidiam curae votique rependat.

Ordo, Dei summi magna est lex atque suprema.
Hoc ita principio posito, sunt semper, & esse
Debebunt homines, alios qui viribus, arte,
Divitiis, praestent. Verum hinc concludere velle,
Felices magis esse illos, rationis id omnem
Offendit sensum. Non est injustus, inique
Nil unquam statuit quicquam Deus, omnibus aequa
Concessit gaudere bono, & felicibus esse.
Felix ille status, sociis defectibus auctus,
Incrementa capit, non his evertitur armis.
Naturae ipsius pacem discrimina servant.
Hic nil conditio, nil circumstantia, mutat.
Seu princeps aliquis fuerit, seu subditus, unum
Est & idem cujusque bonum. Defensor, amicus,
Patronus fueris, seu defendantis, ameris,
Sisque cliens pauper. Nil refert: singula mundi
Communi coelum afflavit spiramine membra.
Communem pariter donavit cuique salutem.
Omnes aequali donatos sorte per orbem

Fac gaudere homines, rixae, certamina, bella,
Nonne forent semper? Cunctos Deus ergo benignus
Si vult felices homines, vult esse beatos
Fortunae in casu, nequirit stabilire salutem.

Fortuna & casus varie sua dividit inter
Munera mortales. Felices asseris illos,
Contra infelices alios inducis; at aequa
Justitiae summae libra hinc manifesta videtur,
His quod concessit sperare, illisque timere.
Nec vero, praesente bono, praesente maloque,
Surgere laetitiae sensus solet atque doloris,
Sola hunc venturae gignit praesensio sortis.

O terrae soboles, imponere Pelion Ossae
Audes ulterius, summosque invadere coelos?
irrita, quae praefers, rident conamina, coeli,
Te quoque, stultitiae quas extruxere, relinquunt, [100
Turribus oppressum & miseranda morte sepultum.

Quis modocunque bonis homines gaudere fruique
Norunt, quaeque Deus dedit & natura potiri,
Deliciae mentis, sensus quoque gaudia cuncta,
In tribus his tantum, scito, consistere rebus,
Subsidiis vitae, pacisque & corporis usu
Sani. Hoc constituit moderati sumtio victus.
Pax est, o virtus, pax est ua portio sola!
Justus & injustus fortunae acquirere possunt
Munera, sed fructus minor, utendique voluptas
Parcior est, prout est sceleris mensura fruentis.
Divitias quaerunt homines, petiturque voluptas.

hic proavis mediis, melioribus utitur ille.
Horum quis tandem majora pericla subibit?
Est homo virtutis custos, rigidusque satelles.
Est contra coeno vitiorum immersus. Uterque
Vel felix fuerit, vel iniqua sorte prematur,
Ecquis contemtum, quis nostro in corde dolorem
Excitat? attento cunctas examine pende
Fortunas, vitium quae possunt reddere felix,
Virtuti exosas semper spretasque videbis.
Impertire malo, quicquid desiderat unquam
Fortunae, semperque illi res deerit una.
Et quae? nempe Viri, cum res, tum nomen, honesti.

In sensu veri, & nostri systemate mundi
Divino, quam mente sumus, quam lumine, capti?
Sors mala virtuti, scelerique secunda dicatur.
Nae quo quis rerum campum feriemque stupendam
Cunctarum cernet melius, meliusque supremas
Perspiciet leges, quid felix, quidve beatum,
Hoc melius sciet hoc & erit felicior ipse.
Non nisi stultus erit, veri ac virtutis amantem
Mox infelicem ac miserum qui dixerit esse,
Ob mala, ob adversos casus, ob tristia fata,
Quae possunt, pariterque solent, obtingere cunctis!
Faleklandum, quaeso, justum, virtutis & omnis
Cultorem rigidum, Turennumque, aspice, sortem
Ultra hominis positum, lacrymosa morte cadentes.
Effusum, irato, procul aspice, Marte, cruentum
Sidneii! tantas quae mortes caussa paravit?
Quae culpa? an virtus? aut haec contemtio vitae,
Quae tantum suevit generosas ducere mentes?

O! nostri nobis memoranda hic caussa doloris!
O adolescentum decus omne! o nostra voluptas!
Num virtus, Digby, quis enim divinitus unquam
Plures accepit virtutes? num tua virtus
Te praematura morti dedit atque sepulchro?
Virtus si vitae privavit lumine prolem,
Cur virtute gravis, cur laude oppletus & annis,
In vivis pater est? Cur dignus episcopus auris [150]
Massiliae sanis fruitur, dum languida pestem
Natura intulerat terris, minusque vagantum
Ventorum flatus febres moresque vehebat?
Aut mihi, cur patitur tam longo tempore (longa
Si vita ulla potest dici!) clementia coeli,
Pauperibusque, senem ac venerandam vivere matrem?

Unde est, quaeso, malum physicum? morale malum unde?
Illud Naturae est, hoc nostri pectoris error,
Atque voluntatis culpa est. Nullum Deus infert,
Nullum inferre malum novit. Dum sobrius adsit
Mentis nostrae usus, semper generale bonum esse
Particulare malum, ratione, videbimus, aequa.
Secum multa malum fert immutatio rerum,
Naturae aut furtim, nec saepius, excidit illud.
Interea nec, homo, queritari desinis unquam.
Accusas coelum, sortem miseratus Abelis,
Quod fuit occisus dextra clavoque Caïni.
Tam minus hic justa est de Numine caussa querendi,
Quam si virtutis studiosus filius aegrum
Afflictumque habeat, corrupto ex sanguine, corpus,
Quem malus impurusque Pater transfudit in illum?
Aeternamne suas leges evertere caussam,

Debilis ac temere clementis Principis instar,
Velle putas, unum vel plures propter amicos?

Siccine sulphureis ardens fornacibus Aetna,
Ut placeat doctis? consueta tonitrua, & ignes,
Et crebros retrahat ructus, auraene marique
Cesserit ordo novus, nova numne impressio fiat,
Commodius possint ut respirare gementes,
Sancte Bethele, tibi pulmones? culmina montis,
Exorto subtus terrae resonante fragore,
Numne refragari gravitatis legibus ausint,
Ne tibi radices propter noceatur eunti?
Confectum senio templum, minitansque ruinas,
Num casum sistat, fur donec Chartrius intret?

Ergo igitur mundus tibi non arridet, inquis
Tam pronus. Melior obis fingatur utriusque.
Hic Regnum fuerit justorum! at nonne videmus
Mille hominum sensus, linguae discrimina mille?
Qua ratione putas ipsi, rogo, denique justi
Convenient secum justi de nomine & aequi?
Eximiam justos summi curam atque favorem,
Pone, merere Dei: at, qui sint justique bonique,
Numne, Deum praeter, vere tibi dixerit ullus?
Unus, Calvinum divinus spiritus, inquit,
Egit & implevit totum; fuit, alter, averni
Progenies, inquit, fuit exitiale maligni
Mancipium genii. Coeli hic si gaudia gustet,
Aut si divinae virgis caedatur in orco
Irae, nonne unus, Deus est! clamabit, & alter [200
Clamabit, non est! unus quo laeditur, alter

Instruitur; nunquam systemate vivitur uno.
Quin etiam si quisquis suum sistema teneret,
Perpetuaene forent lites, certamina, caedes?
Optima quaeque vehens secum sistema subinde
Excitat in nostro diversos pectore motus,
Virtutique tuae quod praemia digna rependit,
Hoc laedit punitque meam. Quae sunt, bona sunto!
Est fateor, praesens mundus pro Caesare factus,
Nec tamen ille Tito factus minus esse putetur.
Sed mihi dic, quaeso, quis erat felicior horum?
Num qui dictator, gemebunda lege, catenas
Injecit patriae, aut cuius generosa dolebat
Jacturam virtus horae, & cujusque diei,
Qua non sit misero cuidam data gratia civi?

At fame saepe, inquis, virtus laudata necatur,
Plurima dum vitium pleno bona devorat ore.
Esto, quid hinc sequitur tandem? num panis & esca
Virtutis merces? Scelus ipsum acquirere panem
Nonne potest? panis pretium est, fructusque laboris.
Demeret hunc nequam, terras dum scindit aratro,
Demeret hunc nequam, dum remige verberat aequor
Altum, in quo pugnant, pro lucro, proque tyrannis,
Stultitiae humanae. Feriatus, iners, sine curis,
Vir bonus esse potest. Nec enim desiderat esse
Dives. Solam animi requiem sectatur & optat.
Esto tamen dives. Ponamus. Quaestio finem
Numne habitura tua est? minime. Careatne potenti
Vir bonus ille manu, clamas, & corpore sano?
Sit quoque honoratus, nummis sit opertus & auro,
Membrorum hic idem stabili sit robore pollens,

Sit, quocunque velis, fortunae munere plenus.
Nonne iterum quaeres, certo cur limite vires
Sunt circumscriptae? privatam cur sibi vivit
Et vitam & sortem? cur non is denique Rex est?
At cur externa haec, non interiora requiris
Dona magis? cur non Deus est tuus iste bonus vir?
Tellus cur non est coelum? nae talia quaerens
Et statuens secum, sumnum, conceperit aegre,
Impertire satis, plus impertire valentem.
Infinita Dei est virtus, immensa potestas.
Ejusdem tua si naturae quaestio fiat,
Quo tandem puncto naturae desinet illa?

Quae nihil in toto dare scit, nec tollere mundo,
Interior mentis requies, & gaudia cordis,
Hae sunt virtutis pretium, haec pulcherrima merces.
Tune aliam & multo meliorem figere tentas?
Rhedam humili menti, sexta cervice trahendam,
Justitiae, gladium debellatoris, & altam
Trade mittam Fidei. Civi fac trade coronam, [250]
Quam fugit aversans. Cunctam haec fastidit & odit
Mercedem virtus, vel eadem evertitur ipsa.
Talia fortunae non raro munera pessum
Virtutem annorum vel sexaginta dederunt,
Quam juvenem annorum demirabare viginti.

Divitiae possuntne animi concedere pacem,
Constantemne aliis populi concedere amorem
Possunt, quam justis? Judex, regnique senatus,
Nonne dati venum, nonne hi sunt aeribus emti?
Laus & amor verus nullo est mercabilis auro.

Stultitiam patiuntur opes. Est dicere stultum,
Vir bonus & sapiens, homines qui diligit omnes,
Diligiturque simul cunctis, qui corpore sano,
Cui pariter mens est & sana, & conscientia recti,
Infelix quod sit talis, coeloque perosus,
Si quadringentis sex septem millia desint.

De nostra nec honor manat, nec dedecus ullum,
Sorte. Fac officium, quod habes, pulchre, bene, recte,
Talibus in factis stat res & nomen honoris.
Constituit fortuna hominum discrimina parva.
Unus turgescit pannis miser obsitus, alter
Murice perfusa & plena auro veste superbit.
Ostentat pellem sutor, vestemque stolatam
Mysta, coronae aurum princeps, monachusque cucullum.
At quid, quis, differt plus, quam diadema cucullo?
Immo, inquam, plus est, stultum, discriminis, inter
Et sapientem hominem. Monachali incedere Regem
Fac semel indutum forma. Potare fac, instar
Sutoris, mystam, & certa ratione videbis,
Unica quod virtus, meritumque virum efficit unum,
Quodque aequat vulgo meriti defectus eundem.
Quod restat, non est, nisi pellis, longaque vestis.

Miraris titulos, torques, fascesque superbos?
Haec reges possunt & amicae tradere regum.
Sanguis mille tuus tumidus profluxerit annos!
Primas ejusdem dederit Lucretia guttas!
Nae, tua majorum si nobilitate probetur
Nobilitas, noli, nisi quos virtutis in altum
Et meriti evexit splendor, numerare parentes.

Si tuus antiquus, sed valde ignobilis, haesit
In miseris animis, & multo crimine notis,
Si vel diluvii transcurrat tempora, sanguis,
Nobilitate tua caveas & sanguine niti.
Nec fac majorum stulta innotescere fata.
Stultum hominem ac servum, dictis factisque minutum,
Nobilitare nequit vel Howardi sanguinis usus.

Ulterius magnum quid sit mereatque vocari,
Exquiras mecum! Qua credis sede teneri
Magnum & magnanimum? Respondes. Hoc sibi totum
Heroës propriumque tenent, aulaeque ministri. [300]
Sunt & erunt omnes heroës semper iidem.
Stultus erat Macedo, septem stultusque trionum
Heros: vita horum punctum modo respicit unum,
Humani ut generis sint detestabilis hostis,
Humanumque genus simul experiantur ut hostem.
Praeteritum spernunt, antrorum semper eentes.
Quae sunt ante pedes tantum, nec longius unquam,
Prospiciunt. Nec iis aulae praeferre ministrum
Avis. Hic prudens, & circumspectus, & omni
Vafritie plenus, tutos captare laborat,
Quo minime rentur punto. Sapientia non est,
Non est hoc artis. Reliquorum infirma facultas
Incautusque sopor, culpa est. Sed, fac, tamen urbes
Et capere Heroës, & debellare minores.
Fac quoque versutum incautos captare ministrum.
Absurdum nonne est, magnum appellare dolosum
Injustumque virum? Prudentia crimine constat
Unius, rabidis iris audacia constat
Alterius, magni quis talia fecerit? amens!

Quisquis nobilibus fultus mediisque viisque
Nobilem habet finem praefixum, atque obtinet illum,
Sive Antonini sapientis regna capessat,
Seu per Socraticam privetur lumine mortem,
Hic magnus vere est, & magni nomine dignus.

Jam vitae spectrum hoc, alio quod spirat in ore,
Et famam & laudem, quid, quaeso, putabimus esse?
Extra nos posita est res, vitae & mortis in hora.
Tantum laudis habes, quantum tibi fertur ad aures.
De te, Maecenas, vel de Cicerone, loquantur,
Quid refert, cum non illud, quod dicitur, audis?
Quicquid laudis habes, & persentiscis, id omne
Nascitur, & pariter parvo finitur in orbe,
Quem nostri faciunt hostes, nostri vel amici.
Omnia sunt species fallax, sunt umbra caduca,
Eugenius vivens, & Caesar morte peremptus.
Vel clarescat adhuc, vel clarus vixerit olim,
Hoc illove loco fuerit, vel tempore quovis,
Ad Rheni ripas, seu sit Rubiconis ad undas.
Famam quid stabilit sapientis? pluma. Quid armis
Consilioque Ducis pollutis? Scipio rector.
Vir bonus unus opus pulchrum est, est numinis instar.
Annon fama viri sceleratis vindicat ipsum
Interitu nomen? Sed ea ratione fit, ejus
Ceu judex corpus statuit privare sepulchro.
O! si hoc exisset justis oblivio terris!
Nam sursum vectum pestem parit atque venenum
Fama omnis, virtute carens, nec debita recte
Factis, nos extra posita est, & fructibus orba.
Cervices volitat circum, nec pectora tangit.

Conscia mens recti, mentisque hinc orta voluptas, [350]
Si vel ad unius spatium duraverit horae,
Praestat, quam populi bruta acclamatio, coecis
Abrepti ducibus, multos audita per annos.
Gaudia vera magis Marcellus percipit exul,
Quam Caesar vinctum ducens sub calce senatum.
Ecquid praecipue, dic, Spiritus altior affert?
Dic mihi, Maecenas, tu nempe id dicere nosti,
Alter si quisquam. Sapientia multa quid affert?
Scilicet, ut, quam sit modicum, quod noscimus, aegre,
Nec sine tristitiae sensu, capiamus, acuti
Errores lapsusque alios cernamus, & inde,
Fortius afficiant animum, queis plectimur ipsi.
Caussas dirimere, & dubias componere lites,
Collapsas reparare artes damnatus, at omni
Adjutore procul, procul omni judice, solus,
Verum aliis monstrare audes, regnumque tueri
Proclive ad lapsum! meuuntur pessima quaeque.
Nemo tibi assistit. Pauci capiunt tua verba.
O res quam misera es, quamque, Excellentia, tristis!
Supra hujus vitae sortem te ponis iniquam,
Ipsaque te sentis supra solamina vectam.

Singula, quae dixi, fortunae munera in unum
Ergo age! coge locum. Rationem ultroque citroque
Confer: quid valeant, quo tendant denique, specta.
O! quanti constat fortunae acquirere partem!
O! quoties partem, sortem teneamus ut unam,
Perdimus alterius, si non ea perditur omnis!
Quam pugnare solent fortunae munera secum,
Cumque his majores nequeunut consistere dotes!

Discrimen vitae quoties, quotiesve quietis
Inducunt! cuncta haec solerti examine pende.
Et, si sollicitant etiam nunc pectora turbis
Invidiae, quibus hos tribuat fortuna favores,
Aspice, numne horum sortem tibi cedere malle?
Numne periscelides captas, variumque colorem?
Quam belle decorent equites, circumspice, Billy,
Atque Umbra; flavi tua vita libidine coeni
Distrahitur? Gripum, Gripique attende maritam.
Alliciunt animum meritorum pondera? culti
Artibus in primis, miserisque memento Baconis.
Famosi exultans tinnitum nominis optas!
Cromwellum, quaeso, procul intueare nefandum,
Damnatum aeternae, funesto criminis, famae.
Horum, quae fingis, si vis unita bonorum
Ambitione animum cruciat, monumenta revolve
Antiqua, & satis haec te spernere cuncta docebunt.
Hic animadvertes, argenti pondus & auri,
Gloria, fama, decus, laus, magnum nomen, honores,
Quam tibi proponant fallaces, quamque caducas,
Fortunae scalas. Hic Regis pectus amicus [400
Possidet, hic gaudet Reginae amplexibus alter.
Quantum hoc fortunae est! nempe haec fraudatur & ille.
O quibus indignis istorum gloria factis
Nititur! audaces Venetos aequare videntur,
Ad summa e misero nisos fastigia coeno.
Et scelus & nomen decurrunt passibus aequis,
Quoque viae surgit puncto heros, sensio cordis
Procidit humani. Spectantur, tempora circum,
Europae laurus, at quanto sanguine tinctae!
Aut emtae nummis! videasque laboribus illos

Posthaec aut fractos, aut quaque libidine mersos,
Aut depradatae famosos nomine gentis!
O! aurum infelix, quod fama extollere nescit,
Et quod ab opprobrio nescit prohibere pudendo!
Curriculum vitae quae tandem flebile finit
Fortuna heroum! nempe arcubus atque triumphis
Splendida, & expositis pretiosa palatia factis
Pauper adulator subit, imperios frequentat
Uxor, fit strepitus, nocturnique otia somni
Turbantur misere varii molimine luxus.
Heu! medii his radiis ne perstringare diei,
Et matutini confer serique tenebras.
Hujus famae omnis strepitus, summa omnis honoris,
Dedecus atque decus commiscens fabula vere est.

Esto igitur verum hoc, hoc sit tibi mente repostum,
Sufficiatque tibi veri hanc cognoscere summam:
Summa salus hominis sola est atque unica virtus.
Haec solum punctum est, hominis quod quamque salutem
Figit, quodque boni gustum concedit & usum
Absque mali sensu, pretium fructumque rependens
Constantem meritis. Homini veras parit aequae
Laeticias, sumat, seu det benefacta locetque.
Gaudia, quae nullis sunt aequiparanda, ministrat,
Ex voto si res cedat, nec triste videtur,
Si secus eveniat; cunctis quoque rebus abundans,
Semper habet satis, ut gignat fastidia nulla.
Ipsa voluptatem praebet penuria rerum.
Risus, quos pariunt stultorum gaudia bruta,
Multo etiam minus arrident, possuntque placere,
Quam lacrymae ac gemitus virtutis. Semper honestum

Atque bonum ex rebus trahit. Omnibus invenit illud
Cauta locis; operans semper, nec fessa labore.
Alterius lapsu nunquam tumefacta superbit.
Nec depressa jacet, si quis tollatur in altum.
Nil, cum nil ipsi desit, desiderat. Ultra
Virtutes alias optans, mox obtinet illas.

Hoc unum solumqqu bonum est, quod in omnibus aequa
Esse potest, coeli dono. Qui cogitat, illud
Nosse potest, & qui sentit, gustaverit illud.
Huc sceleratus homo nescit contingere coecus, [450]
Multa licet norit, medio quoque pauper in auro.
Vir bonus absque labore bonum hoc contrectat & arte.
Nullius addictus jurare in verba magistri,
Nec nova sectari temere vestigia tentat.
Naturam discit. Naturae discitur Auctor.
Nunquam sensu illam, nunquam ratione catenam
Deserit, hoc ingens rerum sistema ligantem,
Quaeque polo terram, humanis divinaque nectit.
Hic nil posse videt felix, nil esse beatum,
Quin aliud manibus quasi contrectare, vel infra
Vel supra sese positum, contendat amicis.
Unio totius, summus quis finis & unus
Sit mentis, monstrat. Certa hinc ratione docetur
Principium ac finem fidei morumque supremum
Esse Dei atque hominis puro de pectore amorem.

Vir bonus unus habet comitem spem. Dicit eundem
De puncto in punctum vitae, blandosque per omnem
Diffundit radios animam, fideique beato
Nexu juncta, negat certos admittere fines,
Laetitiamque affert per pectus & ossa meantem.

Vir bonus ille unus novit, natura salutem
Cur notam dederit sperare, & credere contra
Ignotam, ac fidei certa comprehendere dextra.
Haecce naturae possunt dictamina frustra
Esse? nihil natura facit frustra, & sine fine,
Quin semper reperire solet, quod quaerit & optat.
Naturae hoc munus quantum est! conjungit in illo
Cum summa summam semper virtute salutem.
Dat proprium cognosse bonum procul. Incitat, urget,
Admonet, ut reliquis pariter prodesse labore.

Sic socialis amore, propriusque, Deique ligatus,
Alterius nostram dat habere salute salutem.
Magnanimo tibi si forte hoc minus esse videtur,
Fac, generosus amor simul extendatur ad hostem.
Cunctis ex rebus, rationis habentibus usum,
Ex vita & sensu, cunctis fac in orbibus, unum
Foedus amicitiae, unum fac sistema favoris.
Nae tua quo poterit mens hic generosior esse,
Hoc certe & fies, & eris, felicior ipse.
Summa boni semper summae respondet amoris.

De toto in partes divini motus amoris
Fertur, at humanus certis de partibus ire
Ad totum consuevit amore. Proprii quid amoris
Vis praestat? motus generoso in pectore factos
Promovet, ut placidas ventis conjectus in undas
Circa id, quod fecit, centrum lapis orbibus orbes
Majores addit. Primis sic ille parentes,
Sanguine post junctum vicinum, amplexibus, inde
Et patriam, & genus omne hominum, contingit & ambit.

Nobilis ecce animus! rebus queiscunque creatis, [500]
Quotidie extensos magis impertitur amores.
Plaudit terra, viri generosi redditia late
Fertilis hac suavi, hac benefactis indole plena,
Inque illo coeli manifesta relucet imago.
Euge, age, Maecenas, animae pars altera nostrae,
Tu nostri venerande Poëmatis atque Poëtae
Arbiter! affectus dum nunc descendit ad imos,
Nunc ad magnificos, quasi vecta volucribus alis,
Tollitur illorum fines, mea musa, fac aequa
Consimilisque tibi, ut, vestigia recte secutus
Naturae, possim nunc me demittere digne,
Scandere nunc superas, moderatis ausibus, auras.
Formatusque tuis sermonibus, utile dulci
Ut miscere sciam, tenero cum more severum.
Ingenii teneam leges. Sine lege disertus
Ut loquar, ac norim ductus ratione placere.
O! Tua dum aetatum plenis super aequore velis
Laus, nomenque Tuum, vehitur, quid! nostra carina
Nonne Tuos ausit sectari sedula cursus,
Victricesque sequi remos, ventique favores
Partiri Tecum? Reges, Regumque Ministri,
Heroësque diu fuerint sub pulvere tecti
Terrae, cumque horum natos sobolemque pudebit,
Infensos hostesque Tibi coluisse parentes;
Nonne meus Tecum cupiat consistere versus,
Seros docturus sincera voce nepotes,
Te mihi Doctoremque ducemque fuisse & Amicum.
Te duce, deservit voces sine mente sonoras
Ad res & rerum caussas mea musa reducta.
Te monitore, animum studui cognosse, relictis

Ingenii spectris, vanas ostendere nisus
Et veri & rerum species, nova lumina feci
Apparere iterum naturae, erroribus obstans
Edocui ratione usus: *justum esse bonumque,*
Quicquid ubique rei est, ratio quod recta perinde
Atque animi affectus finem contendat ad unum.
Quod socialis amor propriusque sit unus & idem.
Hic quod summa boni sit sola atque unica virtus,
Summaque notitiae, divinum gnothi seauton.
